

ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS

Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae

DECRETUM DE RECTA APPLICATIONE CANONUM 1150 ET 1608, § 4

1. Hoc Supremum Tribunal, cum in relatione annua de statu et activitate Tribunalis N. aliqua quae absona videbantur invenisset circa quinque causas ad modum processus documentalis — uti asseritur in relatione — pertractatas, ultiores notitias a praedicto tribunali exquisivit.

Iuxta explicationes ab eius Rev.mo Vicario iudiciali datas, in praedictis causis iudex non potuit certitudinem moralem de nullitate matrimonii adipisci, sed, stante dubio circa nullitatem matrimonii, idem Rev.-mus Vicarius iudicialis partis actricis agnovit libertatem novi matrimonii ineundi, «based on application of Canon 1608, paragraph 4, and Canon 1150».

Cum nonnulla obscura adhuc manerent, Signatura Apostolica universa acta praedictarum causarum petiit; quibus acceptis, eadem sedulo examini subiecit.

2. Iam vero, attento can. 1608, § 4, patet in *causis nullitatis matrimonii* applicandum esse principium de quo in can. 1060, ita ut iudex, qui certitudinem moralem de nullitate matrimonii adipisci non potuit, pro eius valore seu non constare de nullitate matrimonii pronuntiare debeat. Sententia vero lata, iudex suum munus explevit.

Quod attinet autem ad can. 1150, seu «in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris», patet hoc principium applicari posse solummodo *in casibus dissolutionis matrimonii* non rati.

3. Circa dissolutionem matrimonii non rati, notandum est:

— Non datur dissolutio ipso iure praeter quam in casibus de quibus in cann. 1143-1149, qui respiciunt matrimonia inter partes non baptizatas contracta;

— In aliis casibus nulla auctoritas Romano Pontifice inferior, iuxta ius viciens, dissolutionem vinculi matrimonialis non rati concedere potest (cfr. Instructio et Normae S. Congregationis pro Doctrina Fidei diei 6 decembris 1973 pro dissolutione vinculi in favorem fidei);

— Si agitur de matrimonio inter partem non baptizatam et partem dubie baptizatam, in singulis casibus ad Sedem Apostolicam recurrendum est (cfr. Decretum S. S. Cong. S. Officii diei 10 iunii 1937. AAS 29 [1937] 305-306).

4. Ad quinque causas Dioecesis N. quod attinet, haec dicenda sunt:

a) Unaquaeque pars actrix tantum declarationem nullitatis matrimonii per processum iudicalem petit, non autem eiusdem dissolutionem;

b) In una causa pars actrix declaravit se *baptizatam* fuisse ante matrimonium et virum conventum baptismo caruisse; matrimonium proinde, servatis iure servandis, ab uno Romano Pontifice dissolvi potuit;

c) In aliis causis pars actrix affirmavit se baptizatam non fuisse tempore matrimonii atque se nescire utrum, necne, altera pars baptizata esset; si deinde ex investigatione administrativa constitisset unam partem non baptizatam et alteram saltem dubie baptizatam

fuisse, quaestio dissolutionis matrimonii ad Sanctam Sedem deferri debuisset;

d) Invocatio igitur privilegii fidei ad normam can. 1150 una cum declaratione libertatis partis actricis ad novum matrimonium ineundum, a Rev.mo Vicario iudiciali in illis quinque causis facta, nedum extra petitem partis actricis et ultra competentiam Rev.mi Vicarii iudicialis erat, sed eam quovis fundamento manifeste carens;

e) Hac declaratione, insuper, idem Rev.mus Vicarius iudicialis potestatem vicariam Romani Pontificis usurpare conatus est.

5. Quae cum ita sint,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Animadverso quod Rev.mus Vicarius iudicialis N. in omnibus praedictis causis contra quaedam principia fundamentalia iuris matrimonialis et processualis canonici egit;

Re sedulo perpensa in Congressibus, coram infra-scripto Cardinali Praefecto, diebus 13 decembris 1995 et 23 ianuarii 1996 habitis,

Audita Congregatione pro Doctrina Fidei;

Vi art. 124, n. 1, Const. Ap. «Pastor bonus»,

DECLARAT:

Praedicta praxis Tribunalis N. omnino reprobanda est;

ET DECERNIT:

1. Monetur Rev.mus Vicarius iudicialis N. ob ignorantiam iuris sive processualis sive substantialis Ecclesiae in re tanti momenti;

2. Videat Exc.mus Episcopus N. de opportunitate, vel minus, amovendi Rev.mum Vicarium iudiciale vel alio modo providendi in casu.

3. Utcumque curet Exc.mus Episcopus N. ut reprobata praxis penitus tollatur.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 23 ianuarii 1996.

Gilberto Card. Augustoni
Praefectus

✠ Zenon Grochowski
Secretarius

COMENTARIUM DECRETI SIGNATUAE APOSTOLICAE
DE RECTA APPLICATIONE
CANONUM 1150 ET 1608, §4

1. *Status quaestionis*

Praesens decretum Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae dirigitur ad quoddam Tribunal N in quo in quinque causis nullitatis matrimonii iudex non pervenit ad certitudinem requisitam ad nullitatem declarandam, ad normam c. 1608, § 4; attamen cum ageretur de matrimoniis non ratis, siquidem saltem una pars non erat baptizata, ipse iudex, absque ullo ulteriore gressu iudiciali vel administrativo, in eadem sententia, nixus c. 1050 «in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris», agnoscit parti actrici libertatem novi matrimonii ineundi.

Ex synthesisi quam praebet Decretum, haec eruuntur: in una ex illis quinque causis de quibus sermo est, mulier actrix declaravit se baptizatam fuisse ante matrimonium, virum autem conventum baptismo caruisse; in reliquis vero quattuor causis pars actrix affirmavit se bap-

tizatam non fuisse tempore matrimonii atque se nescire utrum, necne, altera pars baptizata esset. Patet multa non satis probata eademque essentialia contineri in his declarationibus ut certitudo moralis haberi possit num in omnibus casibus vinculum matrimonii dissolvi possit in favorem fidei, potestate Romani Pontificis. Attamen Decretum ab hac quaestione praescindit; attendit enim tantummodo ad deviam iurisprudentiam corrigendam. Quod et nos in hoc commentario faciemus.

Iam vero problemata quae agitantur sunt, ex una parte, problema substantivum de sensu et applicatione principii c. 1150 «in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris» atque, ex alia parte, problema processuale de sensu c. 1608, § 4: «Iudex qui eam certitudinem adipisci non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et conventum absolutum dimittat, *nisi agatur de causa iuris favore fruente, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est*».

Tribunal N pervenit ad declarandam libertatem novi matrimonii ineundi ex collatione exceptionem quae continetur in c. 1608, § 4, inter et principium enuntiatum in c. 1150, ubi affirmatur in re dubia privilegium fidei gaudere favore iuris. Ceterum exceptio c. 1608, § 4, quoad causas matrimoniales sancitur etiam in c. 1060: «Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur».

Procul dubio iudices tribunalis N nihil aliud faciunt quam pediseque et sine ullo ulteriori studio applicant gratuita asserta Rev.di L. Wrenn in commentario ad c. 1608, § 4, qui ea et in praxim deduxit in sententia quadam Tribunalis Hardfordiensis. Ideo huiusmodi asserta atque partem «in iure» illius sententiae analysi subiicere oportet quo clarius pateat quousque aberratio a recta iurisprudencia prevenerit in huiusmodi causis.

Rev.dus Wrenn iam suam interpretationem proposuit et in praxim deduxit abhinc plus quam 10 annis. Attamen res videbatur adeo a veritate devia ut non mereretur seriam attentionem scientificam. Nunc vero ex hoc decreto Signaturae Apostolicae comprobatur saltem unum tribunal ad plures causas nullitatis matrimonii applicasse illam interpretationem. Ideo absque ullo spiritu polemico sed solummodo animo veritati et iustitiae inserviendi motus evolvam in hoc commentario doctrinam communem et certam, qua nititur Decretum Signaturae Apostolicae, quo clarius pateat iurisprudentiam fundatam in interpretatione Rev.di Wrenn esse prorsus a resta iurisprudentia canonica aberrantem.

2. Interpretatio Rev.di Wrenn cc. 1608, § 4 et 1150

Quo fidelius procedamus in interpretatione Rev.di Wrenn exponenda transcribimus, in linguam latinam translatis, textus laudati auctoris, qui hac super re maioris sunt significationis.

Imprimis quae scribit in commentario ad c.1608, §4:

Quod statuitur in hoc canone est applicatio axiomatis «actore non probante, reus absolvendus est». Exceptio stabilita in hac paragrapho est valde significativa (interesting). Dicit enim quod quando iudex manet in dubio debet pronuntiare *non constat*, NISI agatur de causa favore iuris fruente, qua in causa iudex «debet» pronuntiare («pronuntiandum est») *constat pro ipsa*, i. e. debet dare sententiam affirmativam in favorem causae.

Verbi gratia, in causa matrimoniali quando pervenit momentum sententiae, iudex non est moraliter certus de nullitate matrimonii. Secundum hunc canonem [1608, § 4], iudex debet pronuntiare *non constat*. Attamen si simul una ex partibus est dubie baptizata, [in nota addit: si persona est certe non baptizata, debet applicari privilegium petrinum],

cum sine dubio privilegium fidei sit una ex illis causis quae gaudent favore iuris (c. 1150), iudex debet (vel ita videtur huic auctori) pronuntiare *constat pro ipsa*, i.e. libertas personae ad matrimonium ineundum debet agnosci.

Canon 1608, § 4 non differt substantialiter a canone correspondente Codicis 1917 (CIC 1869, § 4), quem simili modo Lega-Bartocetti interpretabatur (habita ratione quod tantummodo privilegium paulinum cognoscebatur illo tempore) [In nota 129 addit: «Lega-Bartocetti II, 942-944. Per unam sententiam simplicem in hunc sensum, cf. Wrenn, *Decisiones*, 2^a ed. (Washington: CLSA, 1983)»].

¹ «The rule stated in this canon is an application of the axiom «Actore non probante, reus absolvitur». The exception stated in this paragraph is more interesting. In effect, it says that when a judge is in doubt he must give a *non constat* UNLESS there is a question of a case enjoying the favor of law, in which case the judge «must» give («pronuntiandum est») a *constat pro ipsa*, i. e. an affirmative decision for the favor.

In a marriage case, for example, when the time arrives for sentencing, the judge is not morally certain about the nullity of the marriage. In accord with this canon, he must give a *non constat*. If, at the same time, however, one of the parties is doubtfully baptized [in nota 128 addit: «If the person is certainly unbaptized, a Petrine Privilege should be processed»], then, since a doubtful privilege of the faith is one of those cases which «enjoys the favor of the law» (c. 1150), the judge must (or so it appears to this author) give a *constat pro ipsa*, i.e., the person's freedom to marry must be recognized.

Canon 1608, §4 is not substantially different from the corresponding canon in the 1917 Code (CIC 1869, §4), which was similarly interpreted (given the fact that only the Pauline Privilege was known at that time) by Lega-Bartocetti»

In nota 129 apposita ad verbum Bartocetti, addit: «Lega-Bartocetti II, 942-944. For a sample sentence in such a case, see Wrenn. *Decisions*, 2nd ed. (Washington: CLSA, 1983) 189-193». (L.G. WRENN, *Commentary of cc. 1400-1716 in The Code of Canon Law. A Text and Commentary*, ed. J. CORIDEN-TH. J. GREEN-D.E. HEINTSCHEL, ex commissione Societatis Iuris Canonici Americae, New York-Mahwan 1985, 995).

Rev.dus Wrenn in nota remittit ad suas *Decisions*, 2da. ed., Washington 1983. Reapse in hac decisione ad quam remittit apparet clarius mens auctoris, qui, non obstante novitate interpretationis, non dubitat illam in praxim deducere.

Casus erat sequens: Eric, catholicus, matrimonium init cum Sylvia, servata forma canonica, in ecclesia St. Joseph, in Millerton, Michigan, et ut videtur cum dispensatione ab impedimentis et mixtae religionis et disparitatis cultus, forsitan quia erat scandinava et dubitabatur utrum esset acatholica baptizata an acatholica non baptizata. De huiusmodi dispensatione autem non inventum est vestigium ullum in archivis. Caput nullitatis: defectus discretionis. Decisio, quam transcribo ad litteram, fuit sequens:

QUOD ATTINET PROBATIONEM NULLITATIS MATRIMONII — NEGATIVE, i.e. matrimonium non potest probari fuisse nullum.

QUOD ATTINET PRIVILEGIUM FIDEI — AFFIRMATIVE, i.e. cum sit dubium positivum quoad utrumque scilicet tum quoad baptismum partis conventae tum quoad validitatem matrimonii, privilegium fidei, in quantum gaudet favore iuris, operatur, et libertas partis actricis ad matrimonium contrahendum agnoscitur².

Opere pretium est expositionem partis «in iure» prae oculis habere.

² AS REGARDS THE PROVEN NULLITY OF THE MARRIAGE — IN THE NEGATIVE, i.e. the marriage has non been proved nul.

AS REGARDS THE PRIVILEGE OF THE FAITH — AFFIRMATIVE, i.e. since there is a positive doubt both about the baptism of the respondent and about the validity ob the marriage, the privilege of the faith, insofar as it enjoys the favor of the law, is operative and the petitioner's freedom to marry is recognized (L.G. WRENN, *Decisions*, Washington 1983², 192).

Ponens, citatis cc. 1060 et 1608, §4, affirmat clarum esse memoratos canones dicere substantialiter idem quando causa agitur de invaliditate matrimonii, scilicet quod iudex quando non est moraliter certus de invaliditate, debet stare pro validitate matrimonii et pronuntiare sententiam negativam. Tunc prosequitur:

Attamen c. 1068, §4 continet etiam clausulam «nisi», nempe clausulam exceptivam. Dicit etenim quando iudex est in dubio debet pronuntiare sententiam negativam, «nisi agatur de causa iuris favore fruente, quo in casu pro ipsa pronuntian- dum est».

Praeter c. 1060, qui, uti notavimus, incorporatus est in parte principali c. 1608, § 4, habetur etiam alia situatio matrimonialis quae «gaudet favore iuris» uti asserit clausula exceptiva c. 1608, § 4, et haec fundatur in c. 1150, qui statuit: «in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris»³.

Ponentem non fugit solam S. Sedem esse competentem ad matrimonia solvenda in favorem fidei. Ideo prosequitur:

Clarum est solummodo Sanctam Sedem esse competentem ad matrimonia solvenda in favorem fidei. Ideo quando talis favor petitus est et non-baptismus unius partis est certo

³ However, c. 1608 §4 also contains an «unless» clause, an exceptive clause. It says that, when the judge is in doubt, he must issue a negative sentence, «unless there is question of a case which enjoys the favor of the law, in which case he must pronounce in favor of it».

Besides c. 1060, which, as we have noted, has already been embodied in the principal statement of c. 1608, §4, there is only one other marital situation which «enjoys the favor of the law» as the exceptive clause of c. 1068, §4 says, and that is the one found, in c. 1150 which states: «In a doubtful matter, the privilege of the faith enjoys the favor of the law».

probatus, casus debet transmitti ad Sanctam Sedem pro solutione⁴.

In hoc puncto expositionis proponit propriam interpretationem clausulae exceptivae c. 1608, § 4, introductam adverbio adversativo «nevertheless», quae quidem non potest non mirationem suscitare.

Attamen, interpretatio clausulae exceptivae c. 1608, § 4, quam dat hoc tribunal est sequens: quando iudex pervenit ad momentum transeundi ad sententiam pronuntiandam in iudicio formali de allegata invaliditate matrimonii, et quando

1) iudex manet in dubio circa probationem invaliditatis matrimonii (practice, semper ac causa pervenit ad momentum sententiae quin nullitas sit probata, aliquod dubium positivum, ad minimum, efformatum est circa id) atque

2) iudex eodem modo manet in dubio circa probationem non-baptismi unius ex partibus (probatio tota de asserto non-baptismate tribunali summitti debet, quae sufficere non debet ad certitudinem moralem gignendam, tamen dubium positivum inducit)

tunc tribunal non potest dare sententiam affirmativam in favorem nullitatis, sed debet dare («pronuntiandum est» affirmativam decisionem in favorem dubii privilegii fidei, talem ut liberam reddat partem actricem ad aliud matrimonium ineundum⁵.

⁴ It is clear that only the Holy See is competent to dissolve a marriage in favor of the faith. When, therefore, such a favor has been requested and the nonbaptism of one party has been certainly proved, the case should be forwarded to Rome for adjudication.

⁵ Nevertheless, this Court's reading of the exceptive clause of c. 1608, §4 is as follows: That when the moment arrives for a judge to pass sentence in a formal trial regarding the alleged nullity of a marriage, and when

1) the judge remains in doubt about the proven invalidity of the marriage (in practice, by the time a case progresses to the point of a sentence, even though nullity has not been proved, some positive doubt has, at least, been cast upon it) and

Tunc Ponens confirmare intendens suam interpretationem aliquibus auctoritatibus, prosequitur:

Haec interpretatio Tribunalis videtur esse concors cum decretali Papae Licii III (1181-1185), in qua hic canon, cum quadam extensione, fundatur (c. 3 X De probationibus, II, 19 - Friedberg II, 307). Papa Lucius scripsit: «Quod si forte ambarum partium testes sunt aequae idonei, possessoris testes praefereuntur, quum propiora sint iura ad absolvendum quam ad condemnandum, praeterquam in liberali causa, in qua si utriusque partis testes forte aequales fuerint, pro libertate tamen semper sententia proferetur.»

Haec interpretatio etiam videtur concordare cum observationibus commentarii Lega-Bartocetti circa processus (II, pp. 942-944). Hoc commentarium erat, uti patet, circa Codicem praecedentem, sed est clarum canonem parallelum illius Codicis (c. 1869, § 4) non differre substantialiter a praesenti c. 1608, § 4^o.

2) the judge likewise remains in doubt about the proven non-baptism of one of the parties (the total evidence regarding the alleged nonbaptism must be submitted to the Court and must fall short of moral certitud but result in a positive doubt)

then the Court may not give an affirmative decision in favor of nullity but it must give (pronuntiandum est) an affirmative decision in favor of the doubtful privilege of the faith, thus freeing the petitioner to enter another marriage.

⁶ This reading of the Court would seem to be in accord with the decretal of Pope Lucius III (1181-1185) on which this canon is, to some extent, based (c. 3 X De probationibus, II, 19 - Friedberg II, 307). Pope Lucius wrote: «If, perhaps, the witnesses on both sides are equally impressive, then the witnesses of the party in possession should be preferred, since the rights to absolve are more urgent than the rights to condemn; however, in liberal cases, where the witnesses of both parties are equally probative, the sentence should always be rendered in behalf of freedom».

This reading also seems to be in accord with observations of the Lega-Bartocetti commentary on procedural law (II, pp. 942-944). This commentary was, of course, on the old Code but it is clear that the parallel canon in the old Code (c. 1869, §4) was non substantially different from the present c. 1608, §4.

In hac sententia Rev.di Wrenn tot sunt assertiones quae mirationem suscitant ut non sit facile ex eis essentialia colligere et synthetice proponere. Cum autem Rev.dus Wrenn suam sententiam fundet in relatione, quam ipse statuit inter c. 1608, §4, et c. 1150, sequentibus gressibus, claritatis gratia, procedam: imprimis agam de sensu c. 1150; dein de sensu c. 1608, §4; denique de relatione inter utrumque canonem, si qua est.

3. *Sensus canonis 1150*

Principium in c. 1150 enuntiatur his verbis: «In re dubia, privilegium fidei gaudet favore iuris»⁷. In fontibus canonis a Gasparri citatis non invenitur haec enuntiatio. Formulae in traditione adhiberi solitae aliter sonant, v. gr.: «In re dubia *in favorem fidei* pronuntiantum esse constans regula est»⁸. Vel etiam: «In dubio (dubiis) iudicium sit *in favorem fidei*»⁹.

⁷ Circa terminum «favor iuris» in iure canonico, cf. U. NAVARRETE, «Favore del diritto», in *Nuovo Dizionario di Diritto Canonico*, ed. C. CORRAL-V. DE PAOLIS-G. GHIRLANDA, Cinisello Balsamo 1993, 492-500, cum bibliographia ibi indicata.

⁸ BENEDICTUS XIV, epist., *Probe*, 15 dec. 1751, § 27, in GASPARRI, *CICFontes*, IV, n. 418, p. 354. Ipse Benedictus XIV remittit ad suam epistolam *Postremo mense*, 28 febr. 1747 ad Vicegerentem Urbis, in qua idem principium etsi minus clare enuntiatur, n. 16, in *CICFontes*, IV, n. 377, p. 68. S.C.S. Officii repetit eandem formulam: *Instructio Delata sunt*, ad Episc. S. Aberti, 9 dec. 1874, n. 13, in *CICFontes*, II, n. 1036, p. 347.

⁹ S.C.S. OFFICII, Responsum ad Superiorem Missionis Kwan-gensis, 19 apr. 1899, in *CICFontes*, II, n. 1220, p. 514; IDEM, Responsum ad Superiorem Missionis cuiusdam, 26 apr. 1899, in *CICFontes*, n. 1222, p. 515. Habentur aliae formulae, v. gr.: «Ad 2) Cum militet ex parte coniugis conversi fover fidei, eo potest uti quacunque ex causa dummodo iusta sit...» (S.C.S. OFFICII, Responsum ad Vic. Ap. Cochinchin, 1 aug. 1759, in *CICFontes*, II,

Terminus «privilegium fidei» est recens. Procul dubio cepit adhiberi ex consonantia cum termino «privilegium paulinum», qui etiam est recens. In traditione potius concipiebatur uti «privilegium Christi» concessum per Apostolum «*in favorem fidei*» partis conversae¹⁰. In c. 1143, adhibetur formula: «...solvitur *ex privilegio paulino in favorem fidei* partis quae baptismum recepit», quae formula adhibebatur iam in c. 1120 CIC/1917.

Animadvertendun tamen est «privilegium paulinum» habere sensum limitatum ad dissolutionem matrimonii, positis conditionibus de quibus in cc. 1143-1147; ex quadam autem extensione applicatur etiam ad casus de quibus in cc. 1148 (polygamus qui convertitur), et 1149 (coniux qui baptizatur et non potest restaurare ob captivitatem etc. vitam coniugalem). Agitur semper de casibus qui solvuntur absque recursum ad Sanctam Sedem, et quidem per processum administrativum ex potestate executiva ordinarii loci, nunquam vero per processum iudicalem.

Attamen terminus «privilegium paulinum» applicari minime potest ad casus dissolutionis vinculi servatos ad S. Sedem, scilicet casus in quibus agitur de ma-

n. 810, p. 90); «... quod favore fidei concessum est mulieri, fidei quoque favore concedendum est viro, ne alioquin ansa praebeatur catholicam avertendi religionem, aliisque infidelibus coniugibus in infidelitate permanendi» (S.C.S. OFFICII, Responsum Archiepiscopo. Quebecen., 16 sept. 1824, ad 1, in *CICFontes*, IV, n. 866, p. 148); «... id sequatur, quod pro religionis ac partis conversae favore magis consentaneum esse iudicaverint» (S.C.S. OFFICII, instrc. *Cum dubia*, ad Vic. Ap. Gallas, 28 mar. 1860, §2, in *CICFontes*, II, n. 957, p. 231).

¹⁰ Cf. NAVARRETE, «Favor fidei» e «salus animarum», in *Jus*, 27 (1980) 83, nt. 49, ubi plures textus colliguntur qui assertum confirmant.

trimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum vel sine dispensatione impedimenti disparitatis cultus vel etiam de matrimoniis initis inter duas partes non baptizadas, quarum una baptizatur, sed ob aliquam rationem non verificantur conditiones requisitae ad applicandum «privilegium paulinum», scilicet modum procedendi praevisum in cc. 1143-1149.

Terminus e contra «privilegium fidei» canonis 1150 applicatur ad omnia matrimonia non rata, quae dissolvuntur sive per privilegium paulinum iuxta cc. 1143-1149, sive per concessionem R. Pontificis in singulis casibus.

Efferendum etiam est principium «in re dubia *in favorem fidei* pronunciandum esse constans regula est» in traditione vim habuisse et adhuc habere non solum in provincia matrimoniali sed in aliis etiam materiis, ubi conflictus exurgere possunt in relationibus cum non baptizatis¹¹. Attamen cum c. 1150 inseratur ad finem tractatus de dissolutione matrimonii non rati via privilegii paulini, clare patet legislatorem principium enuntiatum in hoc canone referre ad dissolutionem matrimonii non rati ex privilegio paolino (cc. 1143-1149).

Pari autem ratione illud principium potest etiam applicari ad casus dissolutionis matrimonii non rati ex concessione pontificia, de quibus in CIC non fit mentio, ideoque non reguntur legibus in CIC promulgatis pro casibus «privilegii paulini». Haec matrimonia sol-

¹¹ V. gr. Benedictus XIV in epistola *Probe*, 15 dec. 1751, nixus hoc principio, adductis plurimis testimoniis, agit de legitima praesentatione infantis ad baptismum, facta ab avia christiana, invitis parentibus paganis (*CICFontes*, II, n. 418, pp. 344-354). Ipse remittit ad suam epistolam *Postremo mense*, 28 febr. 1747, ad Vicegerentam Urbis, in qua fuse lateque de eodem argumento tractat (*CICFontes*, II, 377, pp. 62-91).

vuntur quidem ab Ecclesia in *favorem fidei* ideoque comprehenduntur, ut dictum est. in sic dicto «privilegio fidei».

Attamen habetur magna differentia quod attinet ad interpretationem practicam principii «in dubio privilegium fidei gaudet favore iuris». Etenim casus dissolutionis ex concessione pontificia singuli subiiciuntur examini Sanctae Sedis ut videat num praesentandi sint Romano Pontifici pro gratia dissolutionis. Hoc posito, patet Sanctam Sedem et, si necesse est. etiam Romanum Pontificem posse in singulis casibus aestimare quousque favor iuris quo gaudet «privilegium fidei» ad normam c. 1150, sit applicandus, cum tale principium formaliter non obliget Romanum Pontificem. Etenim tandem aliquando agitur de principio iuris positivi Ecclesiae, etsi fundato in relatione inter valores ordinis creationis et ordinis gratiae, a Deo Redentore stabilita. E contra, matrimonia quae solvuntur vi «privilegii paulini» reguntur normis in CIC promulgatis, quas inter habetur principium generale «in dubio privilegium fidei gaudet favore iuris», cuius interpretatio et applicatio subiicitur criteriis ordinariis interpretationis et applicationis legum quae in CIC continentur. In hac provincia attendenda sunt principia iuris divini circa indissolubilitatem matrimonii rati et consummati necnon integra doctrina communis, canonica et theologica, attendita etiam eius evolutione historica, ut colligatur genuinus sensus principii.

Patet aliud esse matrimonium aliquod esse obiective dissolubile dissolubilitate extrinseca, seu Ecclesiam habere potestatem illud solvendi, aliud vero praesupposita et condiciones stabilire sub quibus illud matrimonium valide et licite possit dissolvi. Scimus omnia matrimonia quae non sint rata et qua talia consummata posse, datis determinatis praesuppositis, a R. Pontifice

dissolvi. At ipsius R. Pontificis est sive lege communi sive suo interventu in singulis casibus stabilire quae-nam matrimonia quae dissolvi possent, oporteat reapse, attento bono tum coniugum tum communi, ut solvantur.

His positis, tota haec complexa materia regitur impraesentiarum aliquibus principiis generalibus, sive iuris divini sive iuris Ecclesiae, quae omnino prae oculis habenda sunt:

1. In iure nunc vigenti matrimonia non rata de quibus in cc. 1143-1149 solvuntur, sine recursu ad Sanctam Sedem, adimpletis conditionibus requisitis et servatis praescriptis, quae in dictis canonibus sancuntur.

2. Huiusmodi matrimonia solvuntur *non auctoritate iudiciali* sed *ipso* iure, positis conditionibus a legislatore sancitis, de quarum adimplerione constabit ut plurimum *via administrativa* (cf. c. 1144, §2). Inter huiusmodi condiciones est essentialis illa iuxta quam matrimonium non solvitur nisi momento celebrationis secundi matrimonii (c. 1143).

3. Omnia alia matrimonia non rata, quae quidem omnia, positis ponendis, dissolvi possunt, in iure nunc vigenti reservantur Sanctae Sedi, id est solutio habetur ex concessione R. Pontificis in singulis casibus facta. Nulla auctoritas inferior auctoritate R. Pontificis, neque iudicialis neque executiva, in iure nunc vigenti potest valide concedere dissolutionem vinculi matrimonii non rati, praeter casus praevisos in cc. 1143-1149, nulla exceptione facta.

4. Omnia matrimonia non rata solvuntur «*in favorem fidei*», tum illa quae solvuntur per privilegium paulinum (cc. 1143-1149), tum illa quae solvuntur ex concessione pontificia in singulis casibus. Ideo si non habetur «favor fidei», matrimonium non ratum dissolvi non potest.

5. Conceptus «favor fidei» qui iustificat dissolutionem matrimonii non rati labente tempore semper magis amplius factus est, ita ut in praxi nunc vigenti non sese referat tantum ad virtutem theologalem fidei coniugis baptizati, sed comprehendat modo generali *fidem acquirendam, propagandam, conservandam, libere exercendam*. Immo nec requiritur ut directe et formaliter bonum virtutis fidei procuretur, sed sufficit bonum aliarum virtutum, v. gr. castitatis partis conversae, ita ut hodie practice terminus «*in favorem fidei*» convertatur cum termino «*in salutem animarum*». Atamen semper requiritur ut aliquod bonum pro salute animarum prospiciatur, quod iustificet exercitium tantae potestatis¹².

6. Concessio gratiae pontificiae pro dissolutione huiusmodi matrimoniorum regitur normis a Congregatione pro Doctrina Fidei datis die 6 decembris anno 1973, episcopis modo reservato missis, quarum titulus est: *Normae pro solutione vinculi matrimonialis in favorem fidei per Supremam Summi Pontificis auctoritatem*. Inter condiciones essentielles ut gratia concedi possit recensentur hae duae: «a) carentia baptismatis in alterutro coniuge perdurante toto vitae coniugalibus tempore; b) non usus matrimonii post baptismum forte susceptum a parte quae baptizata non erat». Ratio patet, quia in utraque hypothese matrimonium devenisset ratum et consummatum, ideoque absolute indissolubile.

7. Gratia non conceditur si habetur dubium de adimplerione harum duarum conditionum essentialium, id est de carentia baptismatis in alterutro coniuge per-

¹² Cf. U. NAVARRETE «Favor fidei» e «salus animarum», in *Jus*, 27 (1980) 68-88.

durante toto vitae coniugalis tempore atque de non usu matrimonii post baptisum forte susceptum a parte quae tempore celebrati matrimonii baptizata non erat. Ratio patet: Si in dubio circa haec duo praesupposita, R. Pontifex concederet dispensationem, exponeretur ad attentandam dissolutionem matrimonii rati et consummati, cum non habeatur certitudo agi de matrimonio non rato.

8. Quam maxime efferendum est, uti patet, agi in hac provincia de dissolutione vinculi reapse existentis. Nullo modo de declaratione nullitatis, etsi motiva adsint dubitandi de valore matrimonii de cuius solutione agitur. Ideo non agitur de exercitio potestatis ad declarandum nullum matrimonium, quam habet iudex ecclesiasticus; agitur de exercitio potestatis executivae, iuxta diversos gradus competentiae, ad perficiendos gressus necessarios ad dissolutionem efficiendam ex parte Ecclesiae, sive ipso iure (cc. 1143-1149), sive per actum potestatis R. Pontificis.

9. Patet in applicatione «privilegii fidei», sive via privilegii paulini sive per recursum ad Sanctam Sedem, plura dubia exurgere posse quoad adiuncta concomitantia quae iustificent applicationem principii «in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris».

10. Auctores elenchum huiusmodi adiunctorum praesentare solent, plus vel minus prolixum, attendentes in eo conficiendo ad casus qui solvuntur via privilegii paulini, minus, ne dicam nihil, ad casus reservatos ad Sanctam Sedem. Unum Cappello, ad exemplum, citamus:

«Dubium referri potest sive *directe* sive etiam *indirecte* ad fidem, ita ut complures casus eosque omnino diversos complectatur. Praesertim dubium versari potest: a) circa valorem coniugii, ex quocumque capite, in infidelitate contracti; b) circa personam primae uxoris;

c) circa actum et in aliquo casu etiam valorem baptismi ab una parte recepti; d) circa sincerum responsum partis infidelis; e) circa causam sufficientem ad dispensandum ab interpellatione vel responso exspectando; f) circa existentiam matrimonii iam initi; g) circa verificationem omnium conditionum pro usu privilegii Paulini. In his omnibus ea responsio admittenda est, quae favet libertati partis conversae, ut cum fideli matrimonium inire vel novum cum fideli iam initum valere dicatur»¹³.

11. In iure actuali, in usu privilegii paulini, auctoritas quae in dubio potest decidere in favorem privilegii fidei est eadem quae processiculum quoad interpellationes etc, conficit in ordine ad novum matrimonium partis baptizatae. Regulariter erit ordinarius loci (c. 1145), attamen ex iure communi in multis casibus poterit esse ipse parrochus vel qui facultatem habet ad assistendum matrimoniis. Nunquam vero iudex, qualis.

¹³ F. CAPPELLO, *De Sacramentis, V De matrimonio*, Torino 1961⁷, n. 788, p. 718-719. Quod attinet primum casum, sub lit. a), ex iis qui recenset Cappello, scilicet in casu dubii circa validitatem matrimonii contracti in infidelitate, notandum est agi de vera applicatione privilegii paulini et licite quidem vi favoris iuris quo gaudet privilegium fidei. Pars baptizata potest licite inire secundum matrimonium. Si prius matrimonium dubium reapse erat nullum, ipsa erat libera ab impedimento vinculi; si autem matrimonium erat validum, solvitur vi privilegii paulini, uti accidit ubi matrimonium est certo validum. Ideo non est admittenda explicatio, iuxta quam in hoc casu, non ageretur de dissolutione vinculi, sed de *praesumptione nullitatis prioris matrimonii* applicando *favorem fidei*. Si enim ageretur de praesumptione, cum praesumptio non mutet statum obiectivum rerum, si reapse matrimonium de quo agitur erat validum, quid accidit? Manetne vinculum? Tunc secundum matrimonium esset invalidum. Si autem solvitur, ad quid praesumptio?

4. *Sensus c. 1608, §4.*

In hoc canone sanciantur normae quas iudex servare tenetur ad pronuntiandam sententiam: Requiritur in iudice certitudo moralis circa rem sententia definendam (§1); haec certitudo haurienda est ex actis et probatis (§2); probationes iudex aestimare debet ex sua conscientia, firmis praescriptis legis de quarundam probationum efficacia (§3). Tunc praescribitur:

Iudex qui eam certitudinem adipisci non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et conventum absolutum dimittat, *nisi agatur de causa iuris favore fruente, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est* (§4).

Canon invenitur in libro VII *De Processibus*, parte II *De iudicio contentioso*, sectione I *De iudicio contentioso ordinario*. Praescripta ideo huius sectionis prudenter applicanda sunt cum agitur de processibus specialibus, uti sunt processus matrimoniales, in quibus ad praescripta propria praeprimis attendendum est, eo vel magis quod huiusmodi processus non induunt naturam contentiosam, proprie dictam.

Principium generale iuxta quod si iudex certitudinem moralem adipisci non potuit, pronuntiare debet non constare de iure actoris et conventum absolutum dimittat, nititur in natura ipsa ordinis iuridici, quae exigit ut situationes iuridicae acquisitae, prout iuridice constitutae exhibentur coram societate, maneat donec cum certitudine morali probetur reapse eas destitutas esse fundamento iuridico.

Nostra interest hic studio subiicere exceptionem: «*nisi agatur de causa iuris favore fruente, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est*». In causis quae gaudent favore iuris, non applicatur principium generale, sed exceptio; ideo iudex tenetur pronuntiare in favorem causae.

Terminus «favor iuris» in CIC apparet tantummodo ter: in c. 1060 (matrimonium), in c. 1150 (privilegium fidei); et in c. 1608, §4, quem analysi summittimus. Attamen, etsi CIC non expressis verbis memoret quae-nam sint causae favorabiles, doctrina imprimis recenset causas de statu personarum, ut sunt: causae nullitatis matrimonii (cc. 1160; 1671-1691); causae separationis coniugum (cc. 1692-1696); causae super rato non consummato (cc. 1697-1706); causae de morte praesumpta (1707); causae nullitatis sacrae ordinationis (cc. 1708-1712); causae de applicatione privilegii fidei (c. 1150); causae de legitimitate natalium (cc. 1137-1138), ut omittamus alias causas favorabiles, quae recenseri solent, cum nostra hic non intersit de illis agere. Principium de favore applicatur tam si causa agitur via iudiciali quam si tractatur via administrativa. Uti patet praescriptum c. 1608, § 4 formaliter applicatur tantummodo cum proceditur via iudiciali.

In causis recensitis, vi favoris iuris quo gaudent, si iudex vel, si causae aguntur via administrativa, qui potestatem executivam exercet, certitudinem moralem acquirere non potest, debet pronuntiare: non constat de nullitate matrimonii; separatio concedi non potest; non constat de inconsummatione; non constat de morte coniugis; non constat de nullitate sacri ordinis. Iudex non est liber ad aliter pronuntiandum. Ceterum suum munus iudicis exhaurit lata sententia in hunc sensum, a lege praescriptum.

Quod attinet causam favorabilem privilegii fidei dicendum est eam, si quando iudicialiter agitur, non posse versari nisi circa conditiones quae adimplendae sunt ut matrimonium solvatur via privilegii paulini (cc. 1143-1149). Casus enim qui R. Pontifici reservantur pro gratia solutionis «in favorem fidei» non videntur posse offerre aliquod obiectum vindicandum causa iu-

diciali. Iam vero si aliquando promovetur aliqua causa iudicialis circa aliquam conditionem necessariam ad usum privilegii paulini, iudex, si certitudinem moralem acquirere nequit, pronuntiare debet: Privilegium paulinum applicari potest in casu. Hac sententia munus iudicis exhaustum est.

In quantum scio doctrina quam synthetice exposui est pacifica et communis, etsi forte non adeo explicita utpote praesupposita.

5. Relatio inter c. 1608, §4 et c. 1150

Dicta in praecedentibus viam straverunt, ut spero, ad hunc gressum nostrae expositionis, in quo crisi subiciam opinionem Rev.di Wrenn, quae applicatur in quinque sententiis Tribunalis N de quibus agit decretum Signaturae.

Meo iudicio, error magis gravis ex eis in quos incidit Rev.dus Wrenn in eo stat quod simul in una eademque causa reapse tractat et sententiam fert de duabus causis (nullitatis matrimonii et applicationis privilegii fidei), quarum una (usus privilegii fidei) proprie non est causa cum nemo illam promoveat ut actor. Accedit quod in inensum transgreditur munus iudicis, cum decadat partem actricem liberam esse ad contrahendum aliud matrimonium, quod supponit matrimonium de quo agitur dissolvi (vi sententiae iudicis?), si opus fuerit, nempe si, non obstante dubio positivo de validitate, reapse validum obiective fuerit. Secus non intelligitur quomodo unus coniux possit declarari liber ad aliud matrimonium validum celebrandum. Iam vero dissolutio matrimonii non rati in iure nunc vigenti locum habet tantummodo vel per applicationem privilegii paulini (cc. 1143-1149) vel per concessionem pontificiam in singulis casibus.

Praeterea requiritur ut detur aliquod bonum spirituale quod iustificet dissolutionem seu usum privilegii fidei, quod bonum spirituale non apparet in sententia Rev. di Wrenn.

Canon 1608, etsi invenitur in parte CIC iudicio contentioso dicata, applicatur integer ad causas matrimoniales. Ideo etiam §4 dicti canonis. Ex alia parte causae nullitatis matrimonialis pertinent ad causas «iuris favore fruentes», uti apertissime constat ex c. 1060: «Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur». Ideo iudex qui certitudinem moralem ad sententiam pronuntiandam requisitam, ad normam §1 eiusdem c. 1608, acquirere nequit, tenetur sententiam proferre in favorem matrimonii, id est. non constat de nullitate, secundum §4 eiusdem canonis, applicando non normam quae in prima parte paragraphi refertur, sed illam contentam in secunda parte, nempe in exceptione circa causas favore iuris fruentes.

Maxime efferendum est nihil mutare obiectum causae nullitatis quod matrimonium sit ratum vel non ratum, consummatum vel non consummatum. Item nihil ad obiectum causae refert status coniugum quoad baptismum: quod uterque sit baptizatus vel uterque non baptizatus, vel alteruter tantum baptizatus, et quidem sive ante sive post initum matrimonium, tum si pars baptizata est pars actrix quam si est pars conventa. Obiectum causae nullitatis est idem: declarare an constet de nullitate huius determinati matrimonii necne. Quo facto per respectivam sententiam iudicalem, ad normam c. 1611 emissam, munus iudicis exhaustum est. Si sententia est definitive negativa et aliquo alio remedio, v. gr. usu privilegii fidei, succurri potest coniugibus, non est de competentia iudicis illud remedium coniugibus in causa applicare, sive simul cum sententia

iudiciali de nullitate sive per aliud instrumentum iudiciale.

Ideo caret prorsus fundamento affirmatio Rev.di Wrenn cum dicit (*Decisio*, p. 190) in casu quo habeatur dubium de nullitate, si habetur simul dubium de non-baptismo unius partis, iudicem non posse quidem pronuntiare pro nullitate, at teneri («pronuntiandum est») dare decisionem affirmativam in favore dubii privilegii fidei; talem scilicet quae liberum reddat actorem ad ineundum aliud matrimonium. Iam vero iudex tenetur stare praescripto canonum 1060 et 1608, §4 (ultima pars, de exceptione), et pronunciare sic et simpliciter: non constat de nullitate. Illud aliud dubium circa baptismum nihil tangit obiectum causae nullitatis, quae manet causa nullitatis matrimonii simpliciter talis, ac proinde causa favore iuris gaudente, quidquid sit de privilegio fidei in casu.

Quod clarius patebit si examinamus quandonam c. 1608, §4 possit applicari ad privilegium fidei, id est quando favor fidei possit locum dare alicui processui iudiciali in quo habeatur in concreto et reapse «*causa iuris favore fruens*», ideoque iudex teneatur in dubio pronuntiare in favorem privilegii, ad normam memorati canonis.

In applicatione privilegii fidei vix possunt dari iura processu iudiciali vindicanda, cum, in iure vigenti, fere omnia cadant sub facultate discretionali eorum qui potestate executiva (administrativa) gaudent, iuxta respectivos gradus competentiae ad normam iuris. Attamen possunt fortasse dari casus quoad conditiones usus privilegii paulini (cc. 1143-1149).

Fingamus casum: Titius et Caia non baptizati ineunt matrimonium. Caia baptizatur. Intendens uti privilegio paulino affirmat Titium «discessisse» (c. 1143), in quantum non vult cum ipsa cohabitare pacifice sine con-

tumelia Creatoris. Factis interpellationibus (cc. 1144-1146), Titius animadvertit ordinarium credere assertis Caiae. Tunc timens ne haec reapse novum matrimonium ineat utens privilegio paulino, promovet causam iudicalem ad vindicandum ius permanendi cum uxore quia ipse «non discessit», ideoque usus privilegii paulini lucum non habet in casu. Facto processu, iudex manet dubius an habeatur «discessus» mariti necne. In hoc rerum statu, cum causa fruatur favore iuris (c. 1150), iudex tenetur applicare praescriptum c. 1608, §4 (ultima pars) et pronuntiare sententiam in favorem Caiae ita ut possit novas nuptias inire adhibens privilegium paulinum. Ceterum est evidens iudicem non posse sententiam dare nisi agatur de obiecto causae iudicialis. Quoad privilegium fidei, non potest haberi «*causa iudicialis favore iuris fruens*», si non habetur «*causa iudicialis*».

Potest quidem accidere ut causa nullitatis et causa privilegii paulini concurrant in una eademque causa iudiciali. Addamus, ad exemplum, in casu proposito aliud novum factum: Caia, cum ex una parte videat Titium promovisse causam de non «discessu» et ex alia parte fundamentum habeat ad acusandum matrimonium, causam nullitatis promovet. Ob connexionem causarum, utraque unico processu cognoscuntur. Iudex manet dubius tum de nullitate matrimonii tum de «discessu» Titii. Tunc ad normam cc. 1608, §4, 1060, 1150, tenetur pronuntiare sententiam in hunc sensum: «Non constat de nullitate; cum vero dubium habeatur de «discessu» partis non baptizatae (Titii), pars baptizata (Caia), vi c. 1150, potest uti privilegio paulino».

Meo iudicio, Lega-Bartocetti prospicit hunc casum in loco quem Rev.dus Wrenn refert tum in Commentario, tum in Sententia.

Ex paginis Lega-Bartocetti citatis a Rev.do Wrenn (942-944), ad rem facit tantummodo sequens textus:

Matrimonium gaudet favore iuris, edicit canon 1014: quare in *dubio* standum est pro valore seu validitate matrimonii donec contrarium probetur. Matrimonium nempe etiam legitimum: id est celebratum *inter duos non baptizatos*, c. 1015 §2. Attamen in re dubia privilegium fidei seu paulinum gaudet favore iuris ex c. 1127. -Vi cuius favoris matrimonium legitimum dubium, si concurrat cum privilegio *paulino* dubio, hoc praevallet et vincit; et iudex debet pronunciare pro coniuge sive actore aut reo qui sibi hoc adiudicat privilegium fidei adversus alteram partem ius defendentis matrimonii legitimi at in casu aequae dubii ac privilegium fidei¹⁴.

Subiungimus aliquas observationes ut clarius pateant differentiae doctrinam propositam a Lega-Bartocetti inter et illam propositam a Rev.do Wrenn:

1. In Lega-B. agitur de matrimonio duorum infidelium, quod ex lege communi solvitur, positis ponendis, per privilegium paulinum, id est per modum procedendi descriptum in cc. 1143-1149 Codicis actualis.

In casu Rev.di Wrenn autem agitur de matrimonio inter partem certo baptizatam et partem dubie baptizatam.

2. In casu Lega-B., si matrimonium est obiective nullum, pars baptizata est libera a quolibet vinculo, ideoque nec eget privilegio paulino ad novum matrimonium valide ineundum, etsi ob praesumptionem validitatis qua regitur prius matrimonium non poterit ad secundas nuptias transire nisi servato modo procedendi praescripto pro usu privilegii paulini; si autem matrimonium erat obiective validum, solvitur per usum privilegii paulini.

In casu Rev.di Wrenn, cum una pars sit certo baptizata, altera vero *dubie* baptizata, nec ipse R. Pontifex concedit unquam dissolutionem in hac factispecie, cum

¹⁴ LEGA BARTOCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, II, Romae 1939, p. 942, n. 1.

periculum immineat attentandi dissolutionem matrimonii rati et consummati (si pars dubie baptizata est reapse baptizata). Casus iste est expresse exclusus a dissolutione ex gratia pontificia in «Normae» Congregationis pro Doctrina Fidei anni 1973, ubi inter conditiones sine quibus non ad concessionem gratiae habetur haec: «a) carentia baptismatis in alterutro coniuge perdurante toto vitae coniugalis tempore». Et quidem «carentia baptismatis,» requiritur *certa*, nec sufficit *dubia*. Res est adeo gravis ut expressis verbis animadvertatur, etsi animadversio superflua videatur, in c. 1086 de impedimento disparitatis cultus: «§ 3. Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, praesumenda est, ad normam can. 1060, validitas matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam». Uti patet, agitur de matrimonio in quo coniuges exercuerunt iura coniugalia, ideoque illa praesumptio validitatis est praesumptio validatis matrimonii rati et consummati, quod nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest (c. 1142).

3. In casu Lega-B., supponitur *causam nullitatis* concurrere cum *causa privilegii paulini*, cum agatur de pronuntiatione sententiae circa utramque causam ex parte iudicis. In casu a nobis fincto, iudex pronuntiat sententias tum circa causam nullitatis promotam a Caia: «non constat de nullitate matrimonii in casu», tum circum causam privilegii fidei promotam a Titio: «Non obstante dubio de discessu mariti, vi c. 1150, Caia potest uti privilegio paulino».

In casu Rev.di Wrenn, causa non habetur nisi una, scilicet causa nullitatis. Ideo iudex non potest pronuntiare sententiam nisi circa hanc causam: «non constat de nullitate in casu», quia nulla alia causa ei praesentata est iudicanda.

4. In casu Lega-B., cum sermo sit de applicatione privilegii paulini, habetur bonum spirituale obtinendum quod iustificat usum privilegii fidei.

In casu Rev.di Wrenn nihil aliud exigitur nisi: 1) ut iudex maneat dubius circa probationes nullitatis, 2) ut iudex similiter maneat dubius circa probationes non-baptismi unius ex partibus (Sententia, p. 190). His positis putat Rev.dus Wrenn tribunal posse dare sententiam affirmativam in favorem dubii privilegii fidei, ita ut pars actrix [et consequenter et pars conventa] sit libera ad aliud matrimonium contrahendum. Non attenduntur conditiones quae, praeter baptismum unius partis receptum post matrimonium initum, requiruntur ad usum privilegii paulini, neque conditiones quae sanciantur in «Normae» Congregationis pro Doctrina Fidei anni 1973, ad usum privilegii fidei in casibus qui praesentari possunt ad R. Pontificem pro gratia dissolutionis. Iudex in interpretando et applicando privilegio fidei videtur constitui supra omnes leges vigentes determinantes usum talis privilegii.

Haec quoad paginas Lega-Bartocetti quas citat Rev.dus Wrenn in confirmationem suorum assertorum. Nunc duo verba de Decretali Lucii III (X. 2, 19, 3) quam refert Rev.dus Wrenn, asserens interpretationem Tribunalis videri concordare cum ea.

Decretalis invenitur in titulo *De probationibus*. In illa agitur de controversia inter episcopum cistrensem et archidiaconum quendam circa confines utriusque praebendarum. Textus quem anglice refert Rev.dus Wrenn, sic sonat latine, uti supra iam retulimus: «Quod si *forte* ambarum partium testes sint aequi idonei, possessoris testes praeferentur, quum propiora sint iura ad absolvendum quam ad condemnandum, *praeterquam in liberali causa, in qua si utriusque partis testes forte aequales fuerint, pro libertate*

tamen semper *sententia proferetur* (sublineatio est nostra).

Textus iste nullo pacto potest applicari ad causas matrimoniales, cum clarissime pateat causas matrimoniales non esse «causas liberales». Ex paragrapho citata, causis matrimonialibus applicatur regula generalis «si ambarum partium testes sunt aequae idonei, possessoris testes praeferentur», quamvis clare efferendum sit causas matrimoniales nec esse «causas iurium», quibus haec regula directe et per se applicatur. Id autem quod prorsus a veritate et sensu communi aberrat est applicare ad causas matrimoniales illam exceptionem, quam Lucius III memorat, quae refertur ad «causas iurium liberales».

Conclusiones

Est prorsus evidens sententias Tribunalis N, de quibus agit Decretum Signaturae Apostolicae, subiisse influxum determinantem ex assertis Rev.di Wrenn, ideoque errores in quos incidunt illae sententiae, sunt iidem in quos inciderat Rev.dus Wrenn.

Propter hanc evidentem dependentiam Tribunalis N ab erroneis assertis Rev.di Wrenn, opportunum duxi haec asserta crisi subiicere, quo clarius pateat quam sint aberrantia.

Ex eo quod hae sententiae reapse latae sint, nixae in illa erronea interpretatione Rev.di Wrenn, patet illam interpretationem non remansisse absque gravibus consequentiis in iurisprudencia alicuius saltem tribunalis.

Quae consequentiae adeo sunt graves ut Signatura Apostolica iudicaverit necessarium emitte decretum de quo egimus.

Decretum dirigitur quidem ad casum particularem sed eius significatio est universalis.

URBANO NAVARRETE, S.I.